



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 3. Quotuplex est Simonia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

tur emere justitiam; & judex illam ferens propter munera accepta dicitur vendere justitiam: ita qui dat temporale, ut moveat alium ad dandum Beneficium, emit virtualiter Beneficium; & qui confert Beneficium propter munera data vel danda, illud vendit. Et verò tunc datur unum loco alterius. 6. Aliàs nemo subtilitatis Metaphysicæ peritus posset unquam simoniam admittere; aperireturque via latissima simoniæ.

Aliud est cum datur temporale per modum stipendii, sustentationis: nam datur in subsidium necessarium ad sustentationem personæ occupatæ in gratiam dantis, & quæ interea actioni sibi quæstuosæ vacare non potest. Lex enim naturalis postulat, ut sustentatio, spectato personæ statu, supeditetur ei, qui in alterius commodum occupatus est.

*Q. 3. Quotuplex est Simonia?*

*Resp.* Dividitur 1. In eam quæ est juris divini, & in eam quæ est juris humani. Prior est ea, quæ ideo prohibita est, quia mala est ex natura sua. Talis est emptio, vel venditio etiam virtualis rei, aut actionis Sacræ: nam recta ratio dicit rem Sacram indignè, ac irreverenter tractari hoc ipso, quod datur, vel accipitur pro re temporali æquiparatur factò, sicque deprimi-

tur.

tur. Simonia juris humani est pactio, aut commutatio, aut acceptio, quæ ex natura sua non habet malitiam simoniæ, sed solum ex prohibitione Ecclesiæ facta ex motivo Religionis, seu intuitu reverentiæ erga res Sacras. Nam Lex facit, ut objectum suum sit materia illius virtutis, ex cuius motivo fertur: sic communio à non jejuno facta est sacrilegium: quia Ecclesia ex motivo reverentiæ vetuit sumptionem cujuslibet rei ante communionem.

Dividitur 2. In mentalem, conventionalem, realem, & confidentialem.

Simonia mentalis non est præcisè nudum propositum committendi simoniam, nam hæc dicitur purè mentalis, & hoc modo datur etiam furtum mentale, seu merè internum; sed est actio externa facta ex intentione simoniaca exterius non apparente: sive est datio, vel acceptio rei spiritualis pro temporali, vel temporalis pro spirituali, nullo interveniente pacto etiam tacito: ut si quis serviat Episcopo hac intentione, ut pro obsequio temporali ei procuret Beneficium, nullâ tamen verbis, vel nutibus factâ conventionem. Hæc autem est vera simonia, & ejusdem speciei coram Deo cum simonia reali, ex cap. 34. *de Simon.* Conventionalis est pactio simoniaca expressa, vel tacita, seu implicita, sed nondum tamen executioni mandata saltem ab utràque parte. Nam alia est purè con-

con-

ventionalis, quæ neutra ex parte completa est: alia conventionalis mixta, & semirealis, quæ ex una tantum parte completa est, ut si post pactiorem initam conferatur ab uno Beneficium, sed ab alio non detur temporale, vel e contra: unde participat aliquid de reali.

Realis est pactio simoniaca ex utraque parte completa saltem inchoate: quod addo, quia ad simoniam realem sufficit solutio partis pretii cum receptione rei spiritualis, vel spirituali annexæ.

Simonia confidentiæ, est cum quis alteri Beneficium procurat. eligendo, præstando, postulando, resignando, commendatione, vel alia ratione, cum confidentia, hoc est cum pacto expresso, vel tacito, ut is, cui procuratur illud aliquando resignet procuranti, vel alteri, aut ut pensionem, vel fructus aliquos ex eo præstet. Hæc simonia graviter prohibeturra Pio IV. Bulla 85. & à Pio V. Bulla *intolerabilis*. dicitur confidentialis, eo quod procuratio Beneficii nitatur confidentiâ pactiorem, vi cuius Beneficium ipsum, vel fructus illius, pensione expectatur.

Quatuor modis committitur 1. Per accessum, ut cum Prælati volens tibi per artem incapaci procurare Beneficium, illud confert alteri ea conditione, ut quam primùm capax fueris, illud accipias.

2. Per

2. Per ingressum, ut cum quis Beneficium sibi collatum, ante captam ejus possessionem, alteri resignat eo pacto, ut illud postea ingrediatur, si iste moriatur, vel dimissurus sit.

3. Per regressum, eum quis Beneficium à se possessum alteri resignat ea conditione, ut ille sibi vel alteri idem Beneficium resignaturus sit convenienti tempore.

4. Si presentans, resignans, conferens, &c. Paciscatur expressè, vel tacitè, ut pensio vel pars fructuum Beneficii sibi, vel alteri detur. Porro ad hanc simoniam requiritur, ut accessus, ingressus, & regressus sint in idem Beneficium. Hinc qui resignat Beneficium alteri ea lege, ut hic aliud, quod possidet, dimissurus sit in favorem tertii, non est reus simoniæ confidentialis, sed conventionalis, vel realis.

Q. 4. *Quibus casibus est simonia juris divini, ideòque indispensabilis?*

*Resp.* Ea generatim prohibentur ut simoniaca jure divino naturali, & positivo, quæ cum sint spiritualia, vel spiritualibus annexa, commutantur pro temporali. Speciatim verò sequentia 1. Dare vel accipere temporale pro virtutibus supernaturalibus, donis spiritus Sancti, Sacramentis, Reliquiis Sacris, quavis potestate spirituali, sive ordinis, sive jurisdictionis, ejusve

Tom. I.

T t

actu,